

21020
15
1900

LEO PP. XIII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

IMPRIMATUR:

Fr. ALBERTUS LEPIDI, Ord. Praed., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR:

JOSEPHUS CEPPETELLI, Archiep. Myr., Vicesgerens.



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

IUS PROPRIETATIS VINDICABITUR.

ROMANI PONTIFICES, quibus grande illud munus in
beato Petro Apostolorum principe commissum
est, universum pascendi Christi gregem, toti in eo
constanter fuerunt, ut pretiosissimum fidei depositum
integrum inviolatumque servarent, et christianas toto
orbe gentes salutaris doctrinae pabulo enutrirent. Hinc
profecto vehemens illa ac provida ab ipsis adhibita
perpetuo cura, ut, quemadmodum bonum semen a
lolio, ita et sani optimique libri ab adulterinis et apo-
cryphis et perniciosis secernerentur, ne christiani
homines, incauto vel temerario horum usu, integri-
tatis fidei morumque detrimentum caperent. Quo in
genere, varia quidem pro varietate temporum tum
Pontifices ipsi, tum Concilia, nunquam neglexerunt
apta malis adhibere remedia. Quum vero, compertâ,
saeculo decimo quinto, nova arte typographica, magis
in dies crevisset librorum copia, praetereaque malarum

007673

haeresum pestis late grassaretur, necessarium omnino visum est, qua praecavendis periculis, qua reparandis mature damnis, in prave scripta acrius animadvertere. Itaque Concilii Tridentini patres, ad quos Pius IV praedecessor noster id negotium remiserat, ingenti librorum sive haereticorum, sive de haeretica pravitate suspectorum, sive pietati moribusque nocentium contagioni, duplii esse ratione occurrentum existimauit. Ac primo quidem, eiusdem Synodi auctoritate lecti ad id praesules et theologi generales quasdam condidere regulas, ut nimirum facilius dignosci posset a quibus generatim libris fideles cavere oporteret; tum vero accuratum atque absolutum librorum improbatae lectionis elenchum seu indicem exararunt. Quem indicem una cum memoratis regulis, quum peractâ Synodo, ex ipsius decreto, Pio IV praedecessori nostro exhibitus fuerit ut ne antea ederetur quam apostolicae auctoritatis robur acciperet, summa diligentia denuo excussum idem Pontifex approbavit et ab omnibus observari iussit. — Res tamen ipsa ferebat ut eiusdem Index, novis editis decursu temporis pravis perniciosisque libris, nova additamenta requireret: idque sane ab Apostolica Sede iterum iterumque assidua cura perfectum esse neminem latet. Ita quidem Clemens VIII, ac deinceps Alexander VII et Benedictus XIV praedecessores nostri Indicem ipsum, insertis iis libris

quos postmodum summi Pontifices vel per litteras apostolicas vel per romanas Congregationes, praecipue Inquisitionis atque Indicis, proscripterant, in meliorem aptioremque formam redactum, quasi innovarunt. Quum vero a Benedicti XIV praedecessoris nostri pontificatu maximo longa iam aetas, centum quadraginta fere annorum, effluxisset, maius quiddam atque efficacius res ipsa postulare videbatur. Non solum enim complura hoc temporis intervallo damnata fuerant prave scripta, sed non pauci etiam errores ac mendae in Indicem ipsum irreperserant. Itaque, quod in votis etiam fuisse perspectum est multorum patrum Vaticanae Synodi, manum huic Indicis emendandi perficiendique operi admovendam duximus. Ac primo quidem regulas, quas e mente Concilii Tridentini Pius IV praedecessor noster constituerat, aliquanto moliores efficere, easdemque tempori accommodare decrevimus: idque sane perfecimus Constitutione Apostolica *Officiorum ac munierum*, edita die xxv Ianuarii an. MDCCXCVII. Quod vero ad Indicem spectat, eum diligentissime recognosci, e mendis purgari, atque ita disponi ordinarique iussimus, ut tota eiusdem ratio cum regulis seu decretis generalibus apprime congrueret. Eiusmodi negotium, sane laboriosum, Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationi Indicis librorum prohibitorum praepositis demandavimus, qui doctis aliquot

accitis in operis subsidium viris, rem totam alacri assi-
duoque studio ita perfecere, ut novus Index ceteris
iis qui praecesserunt non solum longe emendatior
appareat, sed et expeditioris usus, omissis libris non
ita paucis, quorum proscriptio, olim necessaria vel
opportuna, hodie vix non inutilis evasit.

Huiusmodi igitur librorum prohibitorum generalem
Indicem, iussu Nostro recognitum et emendatum, ac
typis vaticanis impressum, quem tamquam litteris hisce
expresse insertum haberi volumus, auctoritate Apo-
stolica, tenore praesentium, approbamus et confir-
mamus, atque ab omnibus ubique locorum integre et
inviolabiliter observari praecipimus, sub poenis in Con-
stitutione Nostra *Officiorum ac munerum* sancitis.
Mandantes omnibus locorum Ordinariis, itemque regu-
larium quorumcumque superioribus, omnibusque aliis
ad quos spectat, aut in futurum spectabit, ut eundem
Indicem vulgandum et observandum pro viribus cu-
rent. Non obstantibus in contrarium facientibus qui-
buscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Pisca-
toris die XVII Septembris MCM. Pontificatus Nostri
Anno Vigesimotertio.

ALOIS. Card. MACCHI.

LECTORI S.

EN TIBI, egregie Lector, novum Indicem librorum prohi-
bitorum ex pracepto SS. D. N. Leonis XIII P. M. dili-
gentissime recognitum et publicatum.

Vulgantur autem una cum syllabo librorum vetitae lectionis
etiam Constitutiones Apostolicae Sedis, quibus examen et
proscriptio pravorum librorum in praesenti regitur: videlicet
Constitutio « Officiorum ac munerum » a SS. D. N. Leone
P. M. die 25 ian. anni 1897 promulgata, et Constitutio « Sol-
licita ac provida », qua Benedictus XIV die 9 iul. anni 1753
certas firmasque regulas tum a romana et universali Inquisi-
tione, tum a S. Congregatione Indicis in examine iudicioque
librorum servandas statuit.

Quod ad hanc Constitutionem Benedicti XIV attinet, constat
eam non tam ad fidelium universitatem pertinere, quam ad
eos quibus onus examinandi libros ad S. Sedem delatos est
impositum.

Alio spectat Constitutio Summi Pontificis feliciter regnantis,
qua « abrogatis regulis sacrosanctae synodi tridentinae » nova
quaedam Decreta generalia eduntur, « quibus catholici homines
toto orbe religiose pareant ».

Inter haec Decreta generalia porro et ipsum Indicem haec
est convenientia: Utraque eo pertinent, ut doceant, a quibus